

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 D I S P U T A T I O
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XXVI.

De
**ANIMA SENSI-
 TIVA,**

Quam,
Annente Altissimo,
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,
TOBIAS ECHARTUS
 Delitianus

In celeberrimã VVittebergensi Academia,
ad diem 17 Novemb. hora & loco solitis.

Salust. in bello Jugurth.
Dux atq; imperator vitæ mortalium Animus est.

VVITTEBERGÆ,
 Typis Iohannis Gormanni, ANNO M. DC. X.





Præstantissime, doctissi-
me Vir,

Dn. BARTHOLOMEË GERE,
L. L. CANDIDATE,

ut &

Nobilis. VVOLFGANGE,

ac

Nobilis. VVILHELME Hölzel/
à Sternstein/ fratres Nobilissimi.

Tuq̄

Singularis Spei Adolescens,

SAMUEL SVARINE,
ABRAHAMI F.

*Domini, fautores, amici singulari-
ter colendi,*

Hanc de sensibus dissertationem

pio ac benevolo excipiatis sensu

Rogamini

à Respondente.

P R Æ L O Q V I U M.



Eriskimè omninò verum, & insignitè est perfectum hoc, quod *Mercurius Trismegistus*, insignis ille *Philosophus maximus sacerdos*, & potentiss: rex, alicubi scripturatum reliquit, ἰδιὸν τῆ ἀγαθῆς ἔννοιας: Siquidem illud unice & legitime nomine *Boni*, sive hoc jam verum sit, sive saltem appa-rens, ita enim illud distingui debere edocti sumus ex lib. 7. *Eth. c. 12.* & *Scalig. Exerc. 307.* salutaris potest, quod omnes appetunt, inq; cognoscere desideratu habent, ut in frontispicio *Ethicorum* finitionem hanc boni ponit generalem, veritatis præceptor *Aristoteles*. Licet verò bis *Boni* appetitus maximè in laude ponatur, suoq; minimè careat præconio: interim tamen præcipuè omni commendationis copia ubertim circumfluit istius epletio, in cuius participatum tum demum venimus, quando perfectam, in quantum eadem ejus fieri potest, jam *Boni* cognitionem adepti sumus: Sio namq; intellectus noster intelligendo bonum, fit ipsum bonum, non per modum quidem essentiae seu formaliter, sed per modum similitudinis & receptionis, seu subjectivè, quatenus τὸ νοητὸν per speciem intellectui copulatur, ut subtiliter *Subtilitatum professor Scaliger* dissertat in *Exerc. 307. Sect. 6.* Hinc est in solidum, quod *Sapientiae dux Aristoteles* scientiam omnem rem esse bonam arbitratur, honoreq; prosequendam summo; quòd scientiam *Homini* ceu finem ultimum esse præfixum idem ille affirmat; quòd scientiam *hominis* perfectionem, non se-cus ac formam materis indigitat, in lib. 1. de *Anima c. 1. t. 1.* & lib. 1. *Metaph. cap. 1.* Imò quod in verba *heo* eximia, *curator eximius, Seneca* erupit, inquit; Quid est bonum? verum *Scientia* Quid malum? rerum imperitia lib. 4. *Epist. 31.* Cum igitur quod appetitu prosequimur, ideo id faciamus, quia ratione non boni induit; Est in proclivi eò esse magè rem expetendam, quo putatur & melior & nobilior: Quapropter meritò miramur & rimamur quam de *Anima* habemus, sit qualis qualis, scientiam, cum dignitate & nobilitate suà res penè naturales præcellat omnes, nobilissimarumq; causa sit operationum, & ad omnem veritatem momentum obtineat maximum, lib. 1. de *Anima t. 2. c. 2.* & 32: Unde dispendium operabaud sumus facturi, si in institutà *Animæ* consideratione perrexerimus, & dum pronuper de *Animâ Vegetante* astitatum fait, vice hac de *Sensitiva* quid dicamus, idq; breviter & *Minervâ rudi* in insequentiibus positionibus.

T H E S I S I.

Anima Sensitiva est actus corporis organici, cujus ratione vivens τὸ αἰ-
 ἰδνῶν percipit atq; dyjudicat: Ideoq; quia actus est corporis, ad modum
 aliarum formarum tota erit in toto, & in qualibet totius parte; licet τὸ πρῶ-
 τὸν αἰδνῶν ratione quidè radicationis, ut loquuntur, non inverè Cor ab
Aristotele statuatur, lib. 3. de part. an. c. 5. in lib. 1. *Somn. c. 4.* ratione verò ope-
 rationis *Cerebrū* à *Galeno* comòdè ponatur, in lib. 8. de decret. *Hipp. & Plat.*
 11. Ab eà autem facultas promanat sensitiva, per quã anima apta reddi-
 tur ad percipiendã τὸ αἰδνῶν. & quæ omnibus inest animalibus, in tantum
 ut interveniète hac unice & verè animal à Non-animali discriminetur, inq;
 abeat diversum; ut scil. ipsa animalia noxia devitare, salutaria persequi po-
 tis essent, lib. 2. de *Anima t. 16.* & lib. de *Juven. & Sen. cap. 1.*

C 2

3. Ambi-

III. Ambitu verò suo concludit vim & Apprehensivam & Motivam: Illa est, quæ præsentia & absentia objecta percipit, quæ extra ipsam sunt, & quæ continet Sensus, qui facultates sunt res singulas accommodato organo percipientes, quorū operatio & in actum traductio Sensio seu Sensatio vulgò, licet barbarè, dicatur, quæ sensuum est alteratio, non corruptiva, sed perfectiva, & quæ potentia est tam passiva, ratione scil. receptionis, quàm activa, ratione nimirum dijudicationis objecti, lib. 2, de Anima tex. 5. & 58. in lib. de sensu & sens. cap. 1.

IV. Requiriturq; ad illam necessitate de omni hac quatuor: 1. Facultas ipsa sentiendi, quæ vi suâ objecta percipit, & maximè in spiritibus animalibus residet, ac per nervos ad uniuscujuslibet sensus organum transit, ibiq; rationem habet agentis & formæ.

V. 2. Sensibile seu objectum certum, quod sensu percipitur, ac quod facultatem sentientem de potentia in actum deducit: Estq; aliud vel per accidens, quod interveniente alio sentitur, ut si quispiam albâ veste videatur, Diarisq; filius dicatur; Albo enim huic accidit, ut sit Diaris filius, nec tantum de Diaris filio sensus judicium fert, verum interior etiam facultas accedit, lib. 2. de Anima t. 65.

VI. Vel per se, quod nullo interveniente alio percipitur: Et est vel proprium, quod non contingit alio sensu percipi, & quod circa decipi non potest sensus rectè legitimeq; dispositus: Sic visu colorè, auditu sonum, gustatu saporem, olfactu odorem, tactu qualitates tactiles percipimus, ibid. t. 63.

VII. Vel commune, quod non uno tantum sed pluribus aut omnibus sensibus percipitur, inq; quo sentiens quandoq; aberrat, ut magnitudine, figura, numero, loco, motu, situ, quiete, quibus Distantiâ Scaliger ex Philosopho adjunxit, Exerc. 298. sect. 15: Sic motum tactu possum & visu percipere, & auditu quoq; & interdum alijs etiamnum sensibus, Arist. ibid. t. 64.

IX. Cum verò impossibile modis omnibus sit, ut objecta jam dicta seu sensibilia secundum suam realem existentiam materiamvè recipiantur, (sic enim esset in organo res ipsa, quod statueri aut credere velle esset verè *ἑνὴς μὲν ὄντος*: Imò concito hoc sequeretur etiam inconveniens, quod res eadem numero non esset una, sed plures, quia simul & semel à pluribus res una videri potest, Scalig. Exerc. 298. sect. 14.) ideo species sensibilis, seu spiritualis aut intentionalis est introducta.

X. Quæ commodum imago dici potest objecti, quæ sensorio oblata facultatem

etatem effectivè movet, ipsumq; objectam representat, cui tanquam proprium
hocconvenit, ut se spiritualiter multiplicare possit: Sicuti ergo cera imaginem
sigilli auro impressi recipit, non aurum ipsum; Ita per omnia sensus proprias
sensibilium species recipiunt sine materia, non res ipsae, lib. 2. de Anima t. 121.

X. 3. Requiritur ad omnem Sensum Organum seu sensorium, quo scilicet
mediante sensilia oblata, facultas sentiendi percipit: Huius, sive commune sit,
unde omnis sensus origo, ut est Cerebrum maxime, sive proprium, quo quilibet
sensus peculiariter utitur, uti oculus sensorium est visu, auris auditu. &c.
haec conditiones sunt: 1. Ut facultatem habeat recipiendi speciem sensibilem, à
qua facultate ipsum sensorium non re, sed ratione saltem discrepat.

XI. 2. Ut certum & legitimum primarum qualitarum habeat temperaturam
& proportionem, sine qua potentia à Divina egere nequit: Hinc fit, ut excel-
lens & vehemens sensibile perimat & destruat sensum, qua scilicet illam sensorij tem-
peraturam, in qua sensus inest, corumpit, aut n. inimum labefactat. 3. Ut de-
nudatum sit ab illis qua recipit: intus enim apparens prohibet alienum, ut si
in visu, oculus actu in se habet vel album vel nigrum, non potest colorem hunc
recipere lib. 1. 122.

XII. Tandem ad omnem Sensationem requisitu necessarium etiam est Medi-
um per quod res sensilis ad aliquem sensum persertur, cum sensibile positum im-
mediate super sensorium nullam efficiat sensationem: Del et autem medium
esse conveniens & naturaliter se habens, non aliena qualitate, dispositione aut
proportionem commutatum, Ibid. t. 75. & 98.

XIII. Porro cum sentire duplex sit, internum & externum, propterea est
discrimine & qua sentit, facultas distinguitur, sensu q; alius externus, Inter-
nus alius dicitur: Ille est, quo Anima per medium aliquod & corporeum in-
strumentum percipit, & qua extra ipsam sent, objecta scilicet praesentia. Perci-
pit autem tamen à Divina aut proximè seu vicinè, aut procul seu eminus:
Proximè corpora aut non subeunt, ut Tactus, aut intrant seu intus sentiuntur
& Gustu cognoscuntur, lib. 3. de Anima c. 2.

XIV. Tactus, qui quidem sensuum omnium est inertissimus brutissimusq;
summe tamen necessarius, sine quo ne dici quidem animal potest, unde & pri-
mus non inrectè vocitatur, lib. 2. de part. anim. c. 8. Scalig. exerc. 298,
Sect. 1. est sensus exterior qualitates tactiles percipiens, quarum alia pri-
mae sunt, ut calidum, frigidum, humidum, siccum, alia secunda, ut molle,
durum, asperum, glabrum. &c. lib. 2. de gener. & corr. c. 2.

XV. Et licet Tactus subjecto & numero unus sit, ratione tamen & facultate multiplex non immerito dicendus: Nam aliud genus calidi est & frigidi, aliud humidi est & sicci, unde ea genera etiam in tactu esse, necesse est, quae quamvis sint ἀνώμαλα, ratione interim advertuntur; Natura enim accommodavit sensum ad suum sensibile.

XVI. Instrumentum autem seu organum ejus non caro est, ut Aristoteles opinatus lib. 2. de Anima c. 11 sed nerva a pellicula sub cute carni intexta. Nul- lum verò externum medium Tactus est, sed ipso instrumento sensus id inest; per aliud tamen caro, item aër & aqua ejus medium dici possunt, quae scilicet cum objecto sunt conjuncta ibid. t. 113.

XVII. Gustus est sensus exterior, qui saporis in linguâ, mediante humido, quod barbari salivale adpellitant, percipit: Objectum igitur ejus est Sapor, qui est qualitas quaedam sicci in humido per calorem generata, quae gustum de po- tentia in actum traducit: Instrumentum autem gustatus est lingua quâ sci- licet in illam ex cerebro nervus descendit, qui expansus est super carnem lin- gua porosam, quae imbuta humore, percipit saporum differentias, Ibid. t. 105. & lib. de sensu & sens. cap. 4.

XVIII. Medium verò salivofus est humor, cum sicca lingua nihil gustare possit, & quicquid siccum, nullog, imbutum humore, insipidum quoque sit. Species extremas saporis dulces & amarum ponit Aristoteles in lib. d, quarum differentiam non, ut Galenus, à temperamento τὸ γένος sumit, sed à sensus ἐνεργεία: Illis vicini sunt pinguis & salsus, sicuti medij acris, austerus, acer- bus & acidus.

XIX. Ceterum quae eminus, procul seu foris sentiuntur, percipiuntur vel ex adverso, ut visu (quamvis interdum & à latere, propterea quod oculi su- perficies atque pupilla curvata est) vel ex obliquo & averso, ut auditu & Ol- factu: Visus ceterorum sensuum omnium, rex est sensus percipiendi re aspectabile, hoc est lucem & colores per medium διαφανές, lib. 2. de Anima t. 72.

XX. Lux est quasi color perspicui ab igne, aut caelestibus corporibus, ut sole diffusus: Cui opponuntur tenebrae, quae sunt privatio talis habitus ex per- spicuo. Color est qui movet actu perspicuum, quae tale: Vt hic appareat, tria requiruntur, 1. extremitas corporis, 2. pellucidum, 3. corpus certum & defi- nitum; Genera colorum duo extrema sunt, albus & niger reliqui sunt inter- medij & mixti. Perspicuum est, quod non suo, sed alieno colore est perspicu- um, ut aër, aqua, vitrum, & similia.

XXI. Non autem medium solum per quod, sed & organum quo fit visio, quod

quod Aristoteles vocat $\kappa\rho\upsilon\pi\upsilon$, Anatomici crystallinum humorem, esse pellucidum
neceſſe eſt: Ideo ex aqua oculus eſt compoſitus & pellucidus factus. Eſtq; illud
internum lumen aliud nil, quàm ſpiritus clari & lucidi à cerebro per nervos
viſorios in oculos delati, ac per pupillam cum lumine externo conjuncti, Sca-
lig. Exerc. 298. Sect. 16.

XXII. Auditus eſt, qui per organon aurium & connatum in illis aërem
duoſque ſonorum, per aërem & aquam (in hac tamen ſpiſſius & difficilius)
ut medium ſonos percipit: Eſtq; ſenſus qualitas in aëre collisione duorum cor-
porum excitata ſolidorum, quæ ab auditu percipitur; Ejus differentia ſunt,
quod alius dicitur gravis, alius acutus, lib. 2. de Anima t. 86.

XXIII. Complectitur ſub ſe ſonus tum Vocem, quæ eſt ſonus animalis pro-
latus ore, cum imaginatione ſignificandi aliquid, formatusq; à Naturâ da-
tus ad id instrumentis: Tum vocis imaginem, quæ dicitur Echo & eſt ſonus
repercuffus ac reflexus à corpore ſibi obſtante, à quo aër redit ad ſuum effi-
ciens reflexione & reverberatione quadam Ibid. t. 80.

XXIV. Demum Odoratus eſt facultas odorum apprehenſiva mediante aëre
vel aqua: Hunc ſenſum hebetiſſimum naçtus eſt Homo, ſed ad ſanita em ma-
ximè conducibilem. ut eruditè diſputat Gellius lib. 18. N. A. c. 2. organum e-
jus rectius & tutius inter caluariam cum Galeno, lib. 1. de cauſ. ſympt. quam
in naſo cum Aristotele, lib. 2. de Anima t. 95 & lib. de ſen. c. 5. collocatur, &
ſunt duo proceſſus mammillares ab anterioribus cerebri ventriculis prodeun-
tes, nervis molliſſimis non abſimiles, & ſummo narium oſſi obſecti.

XXV. Odor autem non eſt ex halatio ipſa, aut vapor calore reſolutus, aut
ex his mixtū quiddam, ſed eſt qualitas ſeu affectio ſicci ſapidi in humido: ejus
differentia per ſe ſunt $\epsilon\upsilon\omega\delta\epsilon\varsigma$ & $\delta\upsilon\omega\delta\epsilon\varsigma$ per accidens autem à ſaporibus,
cum quibus ipſis magna cognatio eſt, ſumuntur, ut alius ſit dulcis, amarg aliq;
alius acerbus. & c. Ibid. t. 95. Scal. Exerc. 297. Sect. 2. Tantū de ſenſibus externis.

XXVI. Interni ſenſus ſunt, qui in cerebri penetralibus ſpecies rerum ſenſi-
lium non ſolum præſentes, ſed & abſentes, percipiunt, agnoſcunt & amplectun-
tur: Et ſunt numero tres: I. Senſus communis, qui $\tau\omicron\ \alpha\ \delta\eta\tau\omicron\iota$ à ſenſibus exteri-
oribus allata apprehendit atq; cognoscit, & unius ſenſus ſpecies à ſpeciebus alte-
rius diſtinguit meliusq; diſcernit lib. 3. de Anima c. 2.

XXVII. Instrumentum ejus eſt cerebrum, præcipue verò nervi ab anteriore
parte cerebri, quo in loco ſenſus communis ſedem habet, deſcendunt ad organa
ſenſuum quibus ſenſationes ſiunt, per quos pariter ſpecies in ſenſu communi re-
cipiuntur: Eſt enim ſenſibus quaſi quidam arbiter, ut ab hoc perfecta fiat ſen-
ſitivæ potentia operatio, Ibid. t. 146.

2. Phan-

XXIIX. 2. Phantasia & est facultas animi, qua species à sensu communi perceptas, & absentes perspicit, earumq; imagines expendit, retinet & conservat: Est enim subnotio ea cognitio, quâ sub uno apprehenso multa alia simul confuso quodam ordine sese offerunt. Ibid. t. 161. & seq. Et hæc phantasia brutis est instar ἡγεμονικῶν, estq; simplex instinctus, quoad sui conservationem impelluntur solo natura vel ductu vel impulsu sine ullâ Ratione.

XXIX. 3. Memoria, qua intelligentis Mentis facultas per se minimè, sed sentientis, quâ hæc adjuncta habet φαντασµατα, quæq; formas universales à Phantasiâ conceptas, penitus conservat, easq; ubi opus, & si præstò sunt depromit, sin obruta, per disquisitionem atq; evolutionem repetit, quam vim Reminiscenciam vocant, soli Homini in peculium concessa, Ibid. c. 4. & lib. de mem. & reminisc. c. 2. Instrumentum memoria statuimus παραρηγανίδα seu postremum cerebri ventriculum, & spiritum qui in eo continetur. Hæc de vi Apprehensivâ.

XXX. Motiva vis vel est Appetitiva, qua animalia post sensuum discretionem molesta fugiunt, & iucunda persequuntur, aut moderate in concupiscibili, aut impetuosè in irascibili appetitione: Hinc affectus varij vel boni, ut læticia & spes, vel mali, ut tristitia est & metus, ex quibus de hinc omnia proveniunt affectuum genera reliqua, de quibus ad sufficientiam alibi. Lib. 2. de An. t. 201. & lib. 3. t. 50.

XXXI. Vel est locomotiva, qua animal, ad captandum utilia, adversandumq; noxia vel totum, vel secundum partem localiter movetur, Ibid. t. 14. & in lib. de motu anim. c. 4. Estq; vel vitalis, ut Respiratio, qua motus est thoracis & pulmonis, quo aer inspiratur & expiratur; vel animalis, nervorum & musculorum ope potis. suscepta, ut est incessus, volatus, natatus & reptatus. Hactenus de Anima sentiente ipsa.

XXXII. Hujus affectio est, tum vigilia, qua est animalium functionum vigor, lib. de Somn. & vig. c. 2. Tum somnus, qui est quies primi sensorij sensuumq; exteriorum, ad animalium quietem & salutem, proveniens maximè ex vaporibus è ventriculo ascendentibus, inq; spirituum meatus sese in sinuantibus, ut in sensuum organa illi influere nequeant. Tum deniq; Somnium, estq; idolum, quod durante Somno spirituum adminiculo Phantasia sibi concipit, indeq; quandoq; aliquid de corporis constitutione conjectari licet. Sed dum brevitatis esse hic Studiosi cogamur, mittamus hæc & alia in exercitationem ipsam.

ADJECTANEA.

1. Sentiens Anima minimè eadem est cum Nutritiva. 2. Sentire non est anime solius, nec corporis tantum, sed conjuncti. 3. Communia sensibilia propriam omnino speciem imprimunt. 4. Ad speciei sensibilis productionem externo non opus est agente. 5. Sensus proprium circa objectum nunquam fallitur. 6. Visio fit recipiendo non emittendo. 7. Odores non nutriunt. 8. Echo eundem sonum numero reddit. 9. Sedes somni nullâ ratione est in Corde. 10. Noctambulos magis vigilant quam dormiunt.

F I N I S.

Umg. VI 26


= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.
S P U T A T I O
TIONUM PHILO.
ICARUM XXVI.

De
MA SENSI-
I V A,

Quam,
nente Altissimo,
B PRÆSIDIO
LÆ T I L E M A N I

colleg. Philos. Adjuncti,
ij gratiâ defendendam suscipiet,
S E C H A R T U S
Delitianus

V Vittebergensi Academiâ,
Novemb. hora & loco solitis.
t. in bello Jugurth.
ator vitæ mortalium Animus est.

TTEBERGÆ,
ormanni, ANNO M. DC. X.

